

QK. 217.

X 6  
1252

Orthodoxa doctrina  
**DE EXORCIS-**  
**SMO IN ADMINI-**  
**STRATIONE BAPTISMI, A**  
quibusdam Ecclesiis Augustanam  
confessionem amplectentibus  
retento.

PROPOSITA  
A Cl. viro Dñ. Daniele Hoffmanno,  
SS. Theol. D. & Acad. Iuliae  
Professore P.

EDITA A QVADAM CHRIS-

tianæ pietatis Studiofo.

Vtinam abscindantur, qui vos  
conturbant.



Excudebatur Anno  
M. D. XC.



Faint, mirrored text from the reverse side of the page, appearing as bleed-through. The text is mostly illegible but includes words such as "DE", "ADM", "CIT", and "CIV".



# CHRISTIANO LE CTORI S.

**S** I Ecclesiae in terris huc usque per ministerium  
um verbi & Sacramentorum administrati-  
onem collectae historiam perlustraveris,  
Christiane Lector, superioraque tempora  
cum hisce, quae Deus vivere nos voluit, accurate con-  
tuleris, nullum securitatis, quietis, pacis, & otij causam  
deprehendes, tranquillitatemque tibi & serenitatem vix  
ut exoptes ullis rationibus adduceres. Quanto furore  
caetum Deo carum hostis ille generis nostri infestavit  
semper, quantaque saevitia & rabie unumquodque seminis  
illius, qui Christus est, membrum insectatus sit & lace-  
ravit, cui pio & Christi nomen profitenti ignotum esse  
poterit? Si quidem nullum tempus sit, quo non maxi-  
mis utrinque viribus infestissimisque armis partes adversae  
non modo in quolibet nostrum, sed in tota etiam Ec-  
clesia per universum mundum dispersa concurrant, &  
quasi perpetuo alcerum conflictu dimicent. Ut enim in  
singulis Christi membris vetus iste homo contra no-  
vum, & contra hunc novus acriter ad extremum vitae huius  
jus mortalis spiritum confligit: ita quoque in Ecclesiae ad-  
ministratiōe continuum perpetuumque bellum veritas  
contra mendacium, & hoc contra veritatem gerit. Quid  
quod ipsa regni Christi tota administratio inimicitijs  
firmissime positae, & in aeternum non finiendis Genes.  
3. praecise definiatur? Nec videre vel oculatissimus  
poterit, quomodo pax quaedam vel inducia saltem ali-  
quae constitui inter dissidentes queant. Verum, quod  
Iehovah suis proponit, simplex est, rectum, rectissimae  
lineae instar, quam brevissimo nos spatio ad summum

bonum & infinitum infinitæ felicitatis principium deducens : falsum contrarium, perplexum, inconstans, curvam lineam exprimens, & ab omni bono felicitate & ad extremum malum & miseriam deflectens, naturam suam vero contrarium, & nunquam eo, unde semel deflexit, recidens. Neutrum horum unquam quiescit, sed motu perpetuo verum falso, & falsum vero reluctatur. Has inimicitias tollat necesse est, & verum efficiat falsum, aut verò falsum in veritatem ipsam transformet, qui vel inducias querit, vel pacem, otiumque & quietem in Ecclesia desiderat, aut omnes quos Iehovah semen suum esse vult, sui similes, id est, Epicuræos reddat. Qui seculum hoc Evangelij per Lutherum mirabili spiritus robore indutum luceque cœlesti collustratum revelati recordatus fuerit, orationem veritati consentientem facile agnoscat. Quum vir ille divinus clarissimum veritatis solem mundo, volente sic Deo, restitueret, non modo densissimæ Papatûs tenebræ radios ejus interceptare & obnubilare conabantur, sed etiam in illa ipsa luce non pauci erant, qui veritatis jam resplendentis luminibus officere, & nubículas studiosè obijcere volebant.

Lutheri mortem tempora longè tristissima sunt secuta, quæ etiam meminisse horret, ut non imerito, Christiane lector, dixeris, serpentem istum antiquum omne suum venenum uno in Ecclesiam Christi ructu evomuisse, omnesque suas artes, fraudes, consilia adhibuisse, summis viribus fundamenta domus Dñi attentasse. Nec finis adhuc ullus, nec vires hostiles cõsumptæ aut debilitatæ, neque ars adversantem nobis destituit. Nova cotidie bella moventur, vires viribus adduntur, & furor augetur furore, quin, quæ nobis videntur minutissima, & ferè mi-

nus

nus digna, quam ut laboriosè defendantur, tam furiosè inimicus, & tam violenter aggreditur, ut uno quasi impetu non aliquam saltem religionis nostræ partem, sed totam structuram, omniaq; fundamenta labefacturus, everfurus, & effracturus videatur.

De rebus mediis, quas vocant, doctrinà piè constitutâ, & rectè firmatâ facile inter omnes conveniri posse, res ipsa loquitur, si quisq; Doctorum ut charitatis officia jactitat, ita charitatis munera obeat, sibiq; non aliam, quam quæ concessa est, auctoritatem adsumat.

De Exorcismo Ecclesiæ nostræ sententiam suam satis piè & consideratè aliis aperuerunt, sententia illa nunquam refutata fuit, nunquam ab iis, qui nunc negotium Ecclesiæ facescere non desistunt, apertè attentata, Exorcismus occasio veritatè mendacis inficiendi quæ sita adsumitur.

Monuit Ecclesia, ne Exorcismo, quod baptismi est, cum pontificiis tribuatur: Exorcismum esse commensationem de ingenti & ineffabili miseria, in qua infans per peccatum hæreat, testata est, simulq; errores pontificios rejecit, confutavit, abjuravit, Liberum vero eundem esse & rebus mediis annumerandum re ipsa & factò comprobavit, legis, quam Christiana dicitur charitas, memor, ne quis perdat, pro quo Christus est mortuus, offendicula cautè vitavit. Persuadere sibi multi potuissent, nunquam fore, ut per Exorcismum ita definitum & explicatum cuniculos ad veritatis arcem expugnandum Sathan esset acturus, ideoq; cura hîc nulla opus esse. Sed cum custos Israël nec dormiat, neq; dormituriat, futura verò prævideat, suosq; monere soleat, viros quosdam excitavit, qui, priusquam hæc via expugnationis iniretur palàm, veritatis arcem & propugna-

eula in hac parte ita muniverunt, ut mirum videri queat, hostem alioqui delirescere cupientem tam aperta vi tantoque clamore huc irruere. Inter hos non postremus est vir clariss. Dñ. Daniel Hoffmannus S. S. Theol. D. & Iulæ Academiæ Professor P. præceptor noster venerandus, qui ante aliquot annos suam de hac controversia, quæ pias multorum mentes miserè nunc affligit (quod autoribus Deus condonet) sententiam publicè proposuit, ut Ecclesia ex improviseo damnum nullum caperet, veritasque contra Diaboli insidias salva & incolumis servata detrimentum non pateretur. Cum præterea ante annum rem aggredi hostes inciperent, & Epistolis divulgatis non obscure significarent, quid nobis expectandum, & ubi vigilandum foret, munimenta illa, quæ fraudibus suis prætendebant, in publicis lectionibus quasi in vigilia quadam constitutus & pugna idem diruit, certò multa jam experientia edoctus hostem non quieti se daturum, indeque existimans fidi militis Christi esse, arma armis opponere & hostem proficientem excipere. Iudicium verò hoc de Exorcismo ipso, argumentisque præcipuis, quibus is removeri necessario debere à quibusdam demonstratur, quod fideliter officii à Deo sibi demandati non oblitus, auditoribus suis tradidit, in usum non nostrum tantummodo, sed Ecclesiæ etiam universæ excepimus. jure itaque nullo ecclesiæ jam satis afflictæ, & opem imploranti id quod hæctenus nobis adservavimus, denegare possumus, sed cum omnibus fidis Christi ministris, aliisque perturbatis & anxiiis Christicolis communicare cogimur. Quapropter te, Christiane lector, contestamur sedulo, ut operam hanc nostram eo quo decet animo, id est, veritatis amante, accipias, piæque mente, quæ dicuntur & tibi proponuntur,

tur,

tur, in vero Domini ( cui tandem aliquando ratio red-  
denda erit ) timore meditêris, ponderes, excutias, & se-  
cundum Sacrarum literarum sacrosancta testimonia &  
infallibilem divinam patefactionem iudices, neq; exi-  
stimes, vel libidine quadam rixandi præpostera & per-  
versa hæc, quæ vides à nobis edita vel commodi alicu-  
jus nostri caussa aliud aliquid in manus tuas per nos un-  
quam venturum. Vale, & pacem nostram bella esse  
atq; inimicitias cogita, proq; veritate contra insidiantes  
suo cum periculo fideliter depugnantes precibus quan-  
tam potes ad Deum fufis continuò iuva, deq; tua ipsius  
salute & Christianismi, quem tot Martyres sanguine suo  
comprobarunt, tot hominum myriades vitæ ipsi,  
præposuerunt, fundamentis agi serio, & se-  
verè cogita. Vale & fortiter in Do-  
mino contra semen serpentis  
dimica.



DO=

DOCTRINA DE  
EXORCISMO ANNO 82.  
IN LOCORVM COMMVNIVM  
explicatione proposita.

ESTNE EXORCISATIO PARS ACTIO-  
nis Sacramentalis in Baptismo?

Responsio.

**N**on est. Ideoq; omitti potest salva Baptismi inte-  
gritate. Atq; utinam homines sibi nunquam sum-  
sissent potestatem, quicquam rituum addere DEI Sa-  
cramentis: sed illius ordinatione simpliciter contenti  
fuissent.

CVR IGITVR NON OBIICI-  
tis Exorcismum, qui Infantibus  
ptixando adhibetur?

**R.** Si abolitus esset iste quoq; Exorcismus, ego non  
improbarem. Certum enim est, nullo mandato Dei in-  
plum Baptismo esse aditum. Pontificios etiam hoc ei  
soli tribuere, quod est Baptismi, non nego. Quia tamen  
retentus est singulari consilio, Pontificiorum erroribus  
non communicante, puto illum, ut rem adiaphoram,  
posse tolerari.

SI RES ADIAPHORA EST, NON  
debet observatio eius pertinaci-  
ter exigi?

Si quis Baptismi Exorcismum exigit, ut necessari-  
um, ita quidem, ut sine illo Baptismus non sit sædus  
hunc



hunc fædè errare existimo. Quæ enim ceremonia neq̃  
à Iohanne Baptista, neq̃ ab Apostolis in Baptismi usur-  
pata est administratione: neq̃ mandato Christi addita  
Baptismo: sine hac Baptismum verum fateri omninò  
necesse est: cùm substantialia Sacramentorum ex pri-  
ma tantùm ordinatione sint petenda. Nec Lombardus,  
Magister Pontificiorum per excellentiam istarum opi-  
nionem probat, cum lib. 4. Sententiarum dist. 6. diser-  
tè fateatur, Baptismum sine Exorcismo verum esse. Vis-  
deant tamen Canonici Doctores, quomodo Lombar-  
dus & Gratianum concilient: cùm hic de consecratio-  
ne dist. 4. Celestini Papæ auctoritatem prætendens,  
statuat, ab aditu fontis vitæ pellendos esse, quibus non  
sit Exorcismus collatus. Quam sententiam ut blasphemam  
exsecramur, cùm additamenta hominum ordi-  
nationi Dei æquet: imò hanc, si absq̃ illis sit, impro-  
bet: cùm tamen Exorcismum sine Baptismo etiam com-  
mendet.

AN IGITUR HOC SATIS CAUSAE  
est, quare Exorcismum Baptismi  
abomineris?

Omninò satis: imò plus quàm satis causæ est, Ex-  
orcismum Baptismi abominandum, egoq̃ malè di-  
ctum puto, quod Exorcismus Baptismi ita necessarius  
urgeatur: quomodo Adiaphoria, quam prætendimus,  
cessat. Puto tamen esse necessitatem quandam retinendi  
Exorcismum: non eum, qui Pontificiorum fæditissimis  
sordibus inquinatus est: sed qui, remotis erroribus,  
cum doctrinâ Euangelii purè propositâ exercetur in no-  
stris Ecclesiis.

B

Quæ

## QVAE EST ILLA NECESSITAS?

Sunt qui Exorcismum propterea sublatum cupi-  
ant, quòd sit testimonium. Infantes fidelium, antequam  
baptizentur, seu quemadmodum carnaliter nascuntur,  
esse filios iræ, itaque potestati Satanæ deditos, nisi scede-  
ris vi in Baptismo ineundi adferantur Christo. Talis  
si petit Exorcismi abolitionem, adeò non est audien-  
dus, ut, si quis ei gratificetur præstando consequens,  
Antecedens probet. Cavendum utique, ne adiaphoron  
vertatur in necessarium, & Antecedens falsum præfer-  
tim cum grauius & constantius non datur, approbetur.

MITTO HOC ACCEDENS, ET PONO  
aliud, nimirum, quòd exorcizando nomen  
Domini vanè usurpetur?

Per se Exorcismus, id est, adjuratio Diaboli, in  
nomine Dei ut cedat, non habet abusum divini nomi-  
nis. Quia Christus Marci 5. præcipit Diabolo, cui no-  
men Legio, ut exeat ex homine. Et Marci 16. dat pote-  
statem Apostolis, ut in nomine Domini Dæmonia eji-  
ciant. Paulusque Actor. 16. Pythonis spiritui præcipit  
per nomen Iesu Christi, ut exeat à puella Philippen-  
si.

AVDIO QUIDEM, PULSOS ESSE DI-  
abolos vel immediatè à Christo, vel iubente hoc in  
nomine ipsius: Verum nondum audio, usos  
hos esse Exorcismo seu adjuratione:  
imò Mar. 5. phrasis est hæc Di-  
aboli, non Christi?

Verum est, quòd Christus & Apostoli non legantur  
vsi Exorcismo in Dæmonibus abigendis. Est quoque  
VOX

vox Diaboli Marci §. respondentis ad mandatum Dei:  
Quid mihi tecum Fili Dei altissimi: adjuro te per Deum,  
ne me torqueas. Usurpatur eadem forma à Caiphâ  
interfectore Christi Matth. 26. Et à filis Caiphæ, incredulis  
scilicet & quæstuosis Exorcistis Act. 19. Sed propterea  
forma verborum non est damnanda, quia Paulus eadem  
utitur I. Thess. 5. & quidem in re piâ & nomini Dei  
gloriosâ: Adjuro vos per Dominum, ut recitetur hæc  
Epistola omnibus Sanctis.

**VALEAT IGITUR FACTVM, ET**  
forma verborum: sed cùm sine mandato Dei  
fiat Exorcismus noster, comparatio claudicat?

Nolo ut inde adstruatur, vel defendatur Exorcismus  
Baptismi nostri: sed ut in alterâ parte excessus vitetur,  
Exorcismum simpliciter blasphemum pronuncians.  
Quò ad mandatū Dei, fateor, nisi hoc explicitè vel  
implicitè haberi possit, nihil necessarium in Ecclesiâ  
probari: Sed res indifferentes: id est, quæ nec omittæ,  
nec servatæ verbo Dei quicquam detrahunt: defectus  
mandati Dei, blasphemias non reddit. Ac, ne de hac  
phrasi prolixius disputem, habemus exemplum Exorcismi  
non mandati à Deo, & tamen ab eadem non impro-  
bati, sed penè probati.

### QVIS EST ILLE?

Refert Josephus lib. 8. Antiquitatum, in populo  
Iudaico fuisse Exorcistas: refertq; Origenem ad Solomonem:  
& de efficaciâ se testem oculare adseverat. Etsi  
verò de authore hîc non est stabile testimonium: quod  
tamen Exorcistæ fuerint: hîc Demones eiecerint, constat.

stat ex 19. Act. Nullibi autem in veteri Testamento legitur, quod Salomon vel alius quispiam de hoc mandatum Dei acceperit. Hic si quis considerat generalem illam Thesin: quod mandatum Dei, praesertim in usu nominis divini, ante omnia sit expectandum: aut ab usum nominis Dei metuendum esse, iste vix sibi temperat ab execratione istius facinoris Iudaici. Sed Christus Lu. II. ad modestiam nos revocat. Nominat enim illo loco filios Iudaeorum: (quomodo notari puto, quod humano, non divino instituto id fuerint ausi) eosque Diabolos in digito Dei ejicere testatur, quod videtur aliqualem habere probationem ejus Exorcismi, quem homines sine jussu Dei usurparint. Deus enim potentiam suam ratum habuit ipsum: & Christus non improbat. Quare discamus moderatius agere in damnationibus rerum ex generalioribus regulis. Calvinus quoque & Petrus Martyr fatentur, se hac Historiam in eam sententiam detineri: Exorcismum sine verbo Dei usurpatum in populo Dei, fuisse ex posteriore approbatum.

**CREDO HOC QVOQUE: SED ALI-**  
ud est Religionis usui Exorcismum inferre: ali-  
ud quod Iudaeis ad corporale beneficium concessus fuit?

Lucae II. Christus inquit, quod Exorcistae Iudaeorum sint futuri iudices illorum, qui miracula Christi similia Diabolo tribuebant. Quomodo Filius Dei docet, permissionem Exorcismi fuisse a Deo designatam Religionis usui: ut scilicet discerent Iudaei, solius veri Dei virtute, quam implorarunt Adjuratores, ejici posse Diabolos: indeque colligerent, Christum Deum, itaque verum Messiam esse, qui propria auctoritate idem faceret.

Habesne

HABESNE PLVS SVBIDI  
in verbo Dei?

Marci 9. legimus, Apostolorum quoque iudicia,  
generalis istius doctrinae applicatione errasse. Vide-  
runt enim quendam eicientem Demonia in nomine Ie-  
su, & tamen hunc non sequi, ideoque prohibuerunt cum:  
postea autem Christum adeunt, & Iohanne loquente ro-  
gant ejus de prohibitione hac sententiam. Ibi Magister  
seu Dominus interdictum illorum annihilat, additâ  
hac præclarâ sententiâ: Qui non est contra nos, pro no-  
bis est.

NONNIHIL OBTINES PRÆDLI-  
ctis testimoniis: sed deficit nunc probatio Exorci-  
smi, postquam *χαρισμα* illud in Eccle-  
sia cessavit?

Absit, ut ejus approbator sim sententiæ, *Χαρισματα*  
planè in Ecclesia cessasse. Etsi enim Apostolicum, &  
quod in primitivâ Ecclesiâ frequens fuit, miraculum  
pellendi Diabulos, tantâ authoritate non viget ampli-  
us, quantâ tum excelluit: tamen admirandam, inexpli-  
cabilem & validissimam vim esse ministerii Evangelii  
contra Diabolum & squamas ejus, non est dubitandum.  
Non enim Apostolis tantum dictum est, quod Iohan.  
16. legitur: Confidite, Ego vici mundum. I. Iohan. 4.  
Potentior est, qui in vobis est, quam qui in mundo est.  
Mundi enim princeps in Christo nihil habet quicquam  
Iohan. 14. in quo judicatus est Iohan. 16. Qui Christus  
non solum se fortiorem probavit forti armato Luca 11.  
sed etiam Ecclesiæ sese obligavit perpetuò, inquiens:  
Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi,  
Math. 28. Nec Apostolos tantum spectat promissio.

Ioh. 14. sed totam Ecclesiam, cum scilicet Inquit Christus: Amen, Amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & majora iis faciet. Nam ego ad patrem proficiscor. Et quicquid petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam: ut glorificetur pater in Filio. Hæc detrahente ministerio Evangelii & Fidei Christianæ, est, omnem consolationem tollere: præsertim cum in senectâ mundi, quæ augetur furor Sathanæ, Fidei virtute in Christo magis opus sit, quam antea. Nolo igitur socius esse illius sententiæ, quæ Exorcismi vim hodiernæ Ecclesiæ, & in hac omnibus fidelibus præcisè derogat. Quod si verò non est omnis præcedenda potestas: infirma erit objectio à *Χαρισµατῶν* defectu, qui Apostolos etiam exercuit.

**QVID EST, QVOD EX HISTORIA**  
Apostolorum prætendis?

Marci 9. Dæmoniacus adducitur ad Christi discipulos: & scribitur, quòd non potuerint eicere spiritum: Christus verò propterea non elevat ministerii Apostolis commissi potestatem & auctoritatem: sed ipsorum incredulitati imputat *χαρισµατῶν* defectum: tandemq; hanc nobilissimam sententiam edidit: Credenti omnia esse possibile. Nec quicquam nunc obstare potest, quàm impietas, quòd tam magnificè de ministerio Evangelii non sentiatur: cum perpetuò constet Paulina definitio Evangelii, quòd sit potentia Dei ad salutem omni credenti.

**SPECIOSVM HOC EST, QVOD DE**  
ministerii verbi potentia consideras: Sed Exorcismum Baptismi propterea non  
reddes necessarium.

Rectè

Rectè facis, repetendo illud, ut causa mihi sit exi-  
mendi opinionem, subindè in hac disputatione recur-  
rentem. Iterum igitur protestor, me non laborare pro  
necessitate exorcismi in Baptismo: sed tantum decli-  
nare metum blasphemie, qui piorum etiam conscientias  
aliquando affligit.

QVAM OB CAVSAM, ET QVANDO  
Exorcismus Baptismi ritibus fuit  
additus ?

Quando Exorcismus primùm in Baptismi admi-  
nistratione usurpatus fuerit ab Ecclesia, non est in Hi-  
storiis, quod sciam, annotatum. Etsi quoque parum con-  
ducat authoris notitia: de humanâ cum solummodo or-  
dinatione agatur: prodesset tamen occasionis conside-  
ratio, nec non temporis circumstantia aliquid sugge-  
ret, quod censuram in utramque partem non nihil iuva-  
ret. Quia verò Historia certa deficit, conjecturæ ali-  
quid dabimus.

QVID DIVINABIS, NISI HISTO-  
ria certa suppetat ?

Fieri potest, ut citius, quam putemus, Exorcismi  
usus ad Baptismum receptus sit ab Ecclesia, cum valde  
infirma sit authoritas negativa. Authoritas enim nega-  
tiva, quæ nudâ omissione constat, nec habet expressam  
rejectionem, nec immoræ regulæ contraria adhibetur,  
nullius est momenti. Qualis est illa Iustini, qui in Apo-  
logetico ritus Baptismi describens, Exorcismi mentio-  
nem non faciat. Si enim eodem modo Patrino-  
rum adhibitionem negares: refutaveris testimonio Higini co-  
ætanei Iustini. Sic Tertullianus in libro de corona mili-  
tis,



tis, instituens disputationem de traditionibus, exempli gratiâ Baptismi quosdam ritus verbo Dei non mandatos subjicit. Hinc verò colligere, plures tùm non fuisse observatos, præter expressos à Tertulliano: hoc vel ipse Author refellit, qui in libro de Baptismo meminit Sponsorum, item Vnctionum: quorum tamen mentio in aliis non exstat.

### QVAE IGITUR OCCVRRIT conjectura affirmanda?

Cyprianus lib. 4. Epist. 7. scribit, quòd suo tempore, languescente dono pellendi Dæmones, obsessi ad Baptismum adducti sint: nec potuerit Diabolus subsistere, quando ad aquam, ut loquitur, ventum sit. Hac occasione Exorcismum primùm in Baptismo usurpatum esse, credibile est: & postea ideo retentum, quòd Baptismi efficaciam conveniret effectus liberationis à potestate Satanae.

### CVM DIVINANDO NON CON- sulatur, conscientis anxiiis, certiora ex- specto.

Versamur in quaestione, Quo consilio & qua intentione Ecclesia Exorcismum Baptismo attribuerit, qua de re conjecturam indicavimus. Certius tamen ex Augustino producemus, ex cuius libro de Ecclesiae dogmatibus cap. 21. citatur in Iure Canonico de consecratione distinct 4. capit. Sive parvuli. hæc sententia, quòd in universo mundo sancta Ecclesia uniformiter Exorcismum in Baptismo servet: ut tunc verè appareat, quomodo princeps mundi hujus mittatur foras: & quomodo prius alligetur fortis, & deinceps vas  
sa ejus



sa ejus diripiatur in possessionem translata victoris,  
qui captivam duxit captivitatem, & dat dona homini-  
bus. Hinc manifestum est, quæ fuerit Exorcismi ratio,  
& quis usus ejus in Baptismo, primo illo tempore.

**LIBER ILLE SUPPOSITIVUS EST:**  
ideoque certam rationem non suppetit:

Scio illum Gennadio potius tribui, presbytero  
Gallo factionis Pelagianæ. Citavi autem ea potissi-  
mum, quæ reverâ Augustini sunt, missis alienis. Nam  
in lib. ejus 2. de Nuptiis & Concupiscentiâ cap. 17. le-  
gimus, quod Iulianus Pelagianus à Fide Apostolicâ  
atque Catholicâ veracissimâ atque fundatissimâ discedens  
noluerit, Nascentes esse sub Diabolo: ne parvuli por-  
tarentur ad Christum, ut eruerentur à potestate tene-  
brarum, & in regnum Christi transferrentur. Contra  
quod Augustinus cap. 18. sic scribit: Sic accusat Ec-  
clesiam toto orbe diffusam, in qua ubique omnes bapti-  
zandi infantuli non ob aliud exsufflantur, nisi ut ab iis  
princeps mundi mittatur foras: à quo necesse est vasa  
iræ possideantur, cum ex Adam nascuntur, si in Chri-  
sto non renascantur, & in ejus regnum, facta vasa mi-  
sericordiæ per gratiam transferantur. Idem lib. 1. de  
Symbolo ad Catechumenos cap. 1. Parvuli exsufflan-  
tur & exorcisuntur, ut pellatur ab eis Diabolus, pote-  
stas inimica, quæ decepit homines, ut possideret ho-  
mines.

**QVID IGITUR HINC PROBAS?**

Judico hinc manifestum esse, quid Ecclesia in-  
tenderit Exorcismo recepto in Baptismate: nimirum  
ut indicaretur, Omnes ex Adam natos, non quidem

C

corpo-

corporaliter obsessos esse à Diabolo, sed tamen possi-  
deri ab eo, ut vasa iræ: renates autem eosdem in Chri-  
sto per Baptismum, in regnum Christi transferri factos  
vasa misericordiæ per gratiam. Est & hoc memorabi-  
le, quòd tempore Augustini Exorcismus, veluti testi-  
monium fundatissimæ veritatis universæ Ecclesiæ (ut  
porro in cap. 18. loquitur Augustinus) sit oppositus Pe-  
lagianis, eandem sententiam de parvulis foventibus,  
quam hodiè Calviniani defendunt. Cumq; nostræ Ec-  
clesiæ eodem fine retineant Exorcismum Baptismi, etsi  
necessarium non statuunt: existimo conscientiam usura-  
pantis non vulnerari: maximè si ad hæc attendatur:

1. Exorcismum per se, non esse damnabilem.
2. Nec sine mandato Dei usurpatum, necessariò  
blasphemum fieri.

3. Adhiberi autem Baptismo, ut Ceremoniam  
de duobus certis & maximi momenti capitibus com-  
monefacientem: nempe de vi peccati & potestate Dia-  
boli, cui omnes non renati subiecti sunt: & de contra-  
rio effectu ministerii Evangelici, & Sacramenti Bati-  
smi, dominantium in Christo, peccatis & Diabolo.

Cumq; non sit dubium, quin Deus per Satanæ  
sensibiles expulsiones, quæ in primitivâ Ecclesiâ fre-  
quentes fuerunt, indicare voluerit, verbi sui, quod mi-  
nisterio Apostolico spargebat, excellentem potentiam  
contra vim & tentationes peccati, mortis & Diaboli:  
Et hæc sit in ministerio Evangelii hodiè adhuc, etsi  
~~capitata~~ secundum alias circumstantias cessent: nes-  
quaquam omnis effectus pellendi Diabolum hodiè  
derogandus est potestati ministro verbi concessæ: Itaq;  
cavendum, ne Exorcismi impugnatione, quod pium  
& bonum est, improbetur. Cumq; præcipua, quæ aliàs  
offene

offendere videntur conscientiam teneram, ita mitigentur, ut tolerabiliora fiant: & ritus Ecclesiae, unius atque alterius arbitrio sine scandalo tolli nequeat: nihil causae restat, intempestive & morose adversari Exorcismo Baptismi: praesertim cum Paulus Rom. 14. adiaphoris nonnihil aequet, quae exquisitè disputando monstrari possunt in articulum Fidei impingere, ut sunt observationes Legum ceremonialium: quae certè Christi adventum praeteritum negare videntur, si accuratiùs, quae isto tempore adhuc toleratae sint, excutiantur.

Id quod piis in mentem venire debet, quoties disputatio haec de Exorcismo  
nimiùm acuitur.



C 2

COM

COMMENTATIO  
DE ARGUMENTIS QUI  
BUSDAM CONTRA EXORCIS-  
mum prolatis Anno &c, 89. in-  
stituta.



In circumfertur Epistola, qua excusatur recens abolitio Exorcismi in vicina quadam Ecclesia. Neque ego ulli auctor esse velim, ut vel contra sublatum Exorcismum facile disceptaret, vel pro restituendo eo laborare deberet, qua de re ante annos aliquot cum ex nobili urbe de hac quaestione consulere, sententiam meam hoc ipso ex loco Auditoribus dictavi. In Epistola autem excusatoria Christiani parentes accusantur, quod sibi natos infantes, antequam baptizentur, gentibus anumerent, itaque errent, quo modo proditur animus authorum istius mutationis: quod cum Exorcismo sanam doctrinam sublatam & Calvinianam atque Anabaptisticam substitutam cupiant. Probatio enim doctrinae utriusque convincit, quod Calviniani sint subtiles Anabaptistae, & hi crassi Calviniani. Itaque error in fundamento doctrinae utriusque communis de infantum baptismo agnoscitur, hoc vno excepto, quod Cingliani & Calviniani infantes baptizent, quos Anabaptistae, donec adolescant, ad baptismum non admittunt.

mittunt, quia de re in tractatu priori de baptismo plenius vberiusque actum est, fucus etiam, quem simplicioribus per dicta quaedam S. scripturae incommodius citata & adducta faciunt demonstratus, detectus & refutatus: nunc de his, qui in vicinia negant Christianorum liberos pro gentibus reputandos esse ante baptismum. Non leve aliquod illi discrimen in externa censura faciunt, sed tale & tantum, quo Christianorum liberi, antequam lavacro regenerationis tingantur differant a gentium liberis in censura Sanctorum, hoc est, Negant isti Christianorum infantes naturam esse aequam peccatores, ut sunt infidelibus gentilibus nati. Atque huc isti accommodant testimonium Pauli Gal. 2. Nos naturam Iudaei, & non ex gentibus peccatores: Et sic putant dicendum, Christianorum liberos non esse peccatores ex gentibus. Quam sententiam si plenius proferre vellem, subtrahere non possem hanc partem: Christianorum liberos esse naturam Christianos: ut quod in definitione hominum peccatores negaretur illud intelligeret, Christianismo infantium naturali infarciri. Ad haec igitur attendat, qui iudicat, & integrum locum Apostoli expendat. Paulus ad Ga. 2. commemorat, quomodo allocutus sit Petrum non recto pede incedentem. Si, inquit, tu cum sis Iudaeus, gentiliter vivis, & non Iudaice, cur gentes vis Iudaizare? nos naturam Iudaei, & non ex gentibus peccatores: scientes non justificari hominem ex operibus legis, sed per fidem Iesu Christi: etiam nos, inquam, in Christum Iesum credimus, ut justificaremur ex fide Christi, non ex operibus legis: propterea quod non justificabitur ex operibus legis ulla caro.

Hic primo quaerendum est, quid sit natura Iudaeorum esse: nimirum, Num idem sit, quod filius promissionis,



onis, an verò tantum ex sanguine iudaico natū, & prærogativis externis illius gentis dotatum esse.

Manifestum autem est, non accipi hinc filium promissionis. Paulus enim ad Galat. 3. inquit: Nostis eos qui ex fide sunt, esse filios Abrahamæ, & ad Rom. 9. non omnes qui sunt ex patre Israël, sunt Israël, neque quia semen sunt Abrahamæ, ideo omnes sunt filii: sed in Isaac tibi vocabitur semen. Hoc est, Non qui filii carnis, ij filii Dei, sed qui filii promissionis censentur in semine. De se autem ad Ga. 2. sic Apostolus, quod in iudaismo versans summè persecutus sit Ecclesiam Dei, & eam vastavit, etsi profecerit in iudaismo super multos læquales suos. Et, ut ad Philippenses ait, in lege irreprehensus vixerit: ubi etiam de legali sua iusticia inquit, quòd tandem pro stercorebus eam duxerit, ut Christum lucraretur. Et ad Gal. 2. Fidem in Christum, qua ex gratia donatus sit: undeque cap 3. filios appellat, exclusis operibus legis commendat. Iudæus igitur naturâ hinc non dicitur filius promissionis, sed filius carnis: licet iudæorum fuerint promissiones ad Rom. 9. tamen non propterea censi fuerunt filii promissionis, qui tantum nascuntur applicatione. Neque in fœdere sic comprehensi fuere illi, ut carnaliter natis iudæis ob signatione saltem fœderis Sacramentali opus fuerit, sed in fœdus adhuc ipsum ipsos recipi oportuit regeneratione per fidem: cum nemo nisi fidelis censeatur in semine. Cumque Paulus sibi etiam in religioso iudaismo versanti fidem diu defuisse palam profiteatur, multò minus hanc conditionem polliceberis recens nato iudæo. At qui hinc intelligit, quid sit, quod Paulus dixerit, Nos naturâ iudæi, & non ex gentibus peccatores. Voluit nimirum profiteri, se & Petrum carnaliter natos iudæos, naturâ à gentibus

gentibus discerni, neq̄ quoad iudæi & gentes naturā peccatores sunt, in hoc ullum discrimen admitti potest, cum disertissima obſtent testimonia contraria.

Nam in hoc ipſo 2. cap. ad Gal. inquit Apoſtolus quærentes in Chriſto juſtificari invēti ſumus ipſi quoq̄ peccatores. Certē phraſis & ipſi peccatores, nihil diſcriminis ratione peccati innuit, ſed potius æqualitatē. 1. Corinth. 15. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes vivificabuntur. Et 2. Cor. 5. Statuimur, ſi unus pro omnibus mortuus fuit, omnes igitur fuerunt mortui. En comparationem in ſumma atrocitate, quæ eſt mortis ſpiritualis. Sic cum Apoſtolus iudæos & gentes compararet Rom. 2. iudæis quoq̄ præſtantiam præ gentibus conceſſiſſet ingentem & religioſam, quia ipſis concedita fuerant oracula Dei, adimit tamē ipſis prærogativam in hoc, quod homines ſint peccatores, & inquit: Nō eſt diſtinctio (notate hanc expreſſam negativam, qui diſtinguitis) omnes peccaverunt, & carent gloria Dei. Sic cum Ephēſiis ſcriberet, ſe ipſis in quæſtione, Num naturā ſint omnes peccatores, nullo modo præfert, ſed perſpicuē ſic teſtatur: Eramus naturā filii iræ, ſicut & cæteri.

Quibus dictis optimē congruit lectio Exemplaris Tigurini Anno 59. editi: Nos natura iudæi, & non ex gentibus peccatores: ſcientes &c.

Hinc nunc ad theſin noſtram (Etiam Chriſtianoꝝ infantibus, quibus extraordinaria conditio Iohannis Baptiſtæ, quod ſcilicet in utero repleantur Spiritu ſancto, non ſingulariter à Deo contringit, juxta regularem doctrinam Chriſtianam, gentes, & non verē Chriſtianos cenſendos eſſe, antequam baptizentur) redituris conſtat, quod ſicut manifeſta eſt corruptela  
doctrinæ

doctrinæ Pauli, si quis dicta ad Gal. 2. tribuat hanc mentem: Iudæos & gentes in censura. Num sint natura peccatores, discerni: ita si quis similiter Christianorum infantes à gentium prophanarum liberis in hoc distinxerit, ut illi non tam fæde existimentur peccatores, quam cæteri: is depravet doctrinam Apostoli.

N. Distinctionem hanc citationem ab Epistolæ, istius auctore factam validissimè refutantè, contrariumq; statuentè retinuit editio novi Testamenti Vogeliana Anni 64. Lypsicæ. Anno &c. 52. Oporinus antiquorum aliq; exemplarium collatione instituta emendatum Testamentum edidit, distinctionemq; eandem habet, pluribus editionibus idem factum esse, ad oculum demonstrari posse exploratum est, quod te, benevole lector, ignorare nolimus, ut prudentiam istorum hominum, qui Reformatores Ecclesiarum esse & videri cupiunt, facile queas iudicare.

### DE DICTO ACT. 3.

Vos (Israëlita) estis filii Prophetarum & pacti, quod pepigit Deus erga patres nostros, dicens ad Abrahamum: Et in semine tuo benedictionem consequentur omnes familiæ terræ.

**H**OC dictum conjungitur præcedenti hoc fine, ut natura Iudæus intelligatur filius fœderis, & promissionis spirituali prærogativa discretus à peccatoribus ex gentibus, unde postea colligatur similis conditio eorum, qui natura Christiani sunt.

Respondeo primum, non probari cordatis Theologis similem certi populi distinctionem à gentibus in  
Christo



Christianismo institutam esse, qualis Israëlitis contigit.  
His enim ex semine Abrahamæ carnaliter prognatis certus mundi locus à Deo decretus, certaque politia cum templo Hierosolymis fixo ordinata fuit: quibus extraneis privilegiis ab omnibus gentibus dividebantur, ut cum semini Abrahamæ hæ prerogativa concessa essent, Iudæi naturam carnis etiam hoc privilegio differrent à reliquis populis. Nullibi autem in S. literis legimus, Deum Christiano populo similem externam præeminentiam promississe, quæ cæteris sese gentibus naturam præferret. Potius autem hoc legitur, ut, cum ex vno sanguine Deus condiderit universum genus hominum, ut habitaret per universam superficiem terræ, Acto. 17. & tamen Israëlitis suos terminos peculiariter assignavit, Deut. 32, tandem per Christum *μεσότητα τῆς βασιλείας* interstitium maceris solutum & dirutum agnoscatur, & Ephes. 2. Quamobrem nulla amplius est istius externæ divisionis ratio, quemadmodum Apostolus Gal. 3. inquit: In Christo Iesu non est Iudæus, neque Græcus. Indignum igitur est laude Christi, Christianismum æquare Iudaismo in prerogativa nativitatæ carnalis, respectu extraneorum populorum censenda, & sic Christianum Iudaismum constituere non solum præter, sed etiam contra S. literarum testimonia. Deinde notetur prerogativam illam Iudaicam, quatenus carnale semen Abrahamæ respiciat, filios fœderis & promissionis ita constituisse, sicut Israëlitarum, quos Paulus à Deo reprobatos querulatur & dolet, sicut, inquam, horum fuerunt adoptio, fœdera, & promissiones Rom. 9. quo tamen jure illos nondum fuisse Spirituales filios promissionis censendos, attestatur ibidem Apostolus disertissime: Non omnes qui sunt ex patre Israël, sunt  
D Israel

Israël: Neq̄ quia sunt semen Abrahæ, ideo omnes sunt filii, sed ij Isaac vocabitur tibi semen, hoc est, non qv̄i filii carnis, ij filii Dei, sed qv̄i sunt filii promissionis, numerantur in semine.

Cum igitur præminentia carnalis ius etiam præstantia religionis commendatum, ad Christianos non fuerit translatum, similiter & ius illud non discreverit inter Judæos & gentes, quo minus illi, quam hi, essent peccatores natura, ut supra demonstravimus, idemq̄ Petrus reperat Acto. 15. inq̄uens: Deus nihil discrevit inter nos (Judæos) & illos (gentiles) fide purgatis cordibus eorum, quo doctrinam deducit etiam Paulus ad Gal. 2. Superstitiosum profecto, & à Christianismo planè alienum est, non solum peculiari carnis sorte filios foederis constituere inter nos, quemadmodum in Judæismo, sed etiam eosdem filios cum spiritali adoptione confundere. Quod si non est fidem Christianam omninò tollere: vana erit argumentatio, quod, quia omnes sola fide justificemur, dignitas carnis ad id, ut filii Dei simus, neq̄ requiri, neq̄ admitti dicatur. Quæ negatio quo spectet, & annon fidem Christianam totam evertat, intelligentibus deliberandum & statuendum relinquimus.

Vt verò res ex hoc textu Petri planior sit, per ius adoptionis, quæ est ex promissionis oblatione, non necessario intelligi actum receptionis & comprehensionis in foedere gratiæ, ad quam designandam baptismus faciat: sed filios foederis dici impiissimos, antequam à suis iniquitatibus sint liberati, & gratia Evangelica sanctificati: expendatur primùm, quod Petrus illis quibus loquitur, exprobrat, quod principem vitæ trucidarint.

Hoc

Hoc immane peccatum Christus Matt. 21. Principibus sacerdotum senioribus populi, quos publicanis & meretricibus posthabendos dixerat parabolice proponit dijudicandum: ipsi verò occisores hæredis vineæ agnoscunt malos perdendosq̃, & vineam aliis, elocandam. Quæ igitur Sanctæ & gratiosæ filiationis ratio in tanto scelere immanissimæ sceleris & parricidii?

Deinde huc accommodetur comparatio, Vos estis filii fœderis &c. Et deniq̃ explicatio subjecta addatur. Vobis inquit Petrus, primum Deus excitatum filium suum Iesum misit, qui benediceret vobis, unumquemq̃ advertendo à sceleribus suis, ut Beza reddidit. Ergo qui in sceleribus à regno Dei & fœdere excludentibus hærent, dicuntur ibi filii Prophetarum & fœderis. Itaq̃ non propterea, quod in fœdere actu gratiæ comprehensi sint, ut sceleratis agentibus non possint in peccati censura comparari, sed quod etiam huiusmodi pessimis prostet promissio & proponatur, non ut sibi blandientes, sed ex numero gentilium peccatorum eximentes, tantum ob signationem promissionis expectent: sed imprimis, ut agentes pœnitentiam aversionem à sceleribus auferant, sicut August. tract. 92. in Iohan. inquit: Christi sanguis sic in remissionem peccatorum omnium fusus est, ut ipsum etiã peccatum posset delere, quo fusus est.

Similis concio Petrina exstat Actor. 2. Postquam enim Israëlitis Iesum Nazarenum virum à Deo approbatum, & apud ipsos præstantibus operibus & miraculis clarum commendasset, ait, Hunc ab ipsis sceleratis manibus cruci affixum interemptum esse. Egregia certè definitio filiorum, qui hæreditarint gratiam patris. Imo his compunctis corde, & quærentibus, quid

D 2

facere

facere debeant, Respondet Petrus: Resipiscite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum, & accipiatis donum spiritus sancti. Vobis enim facta est promissio, & liberis vestris.

Hinc liquet, adoptionem illam populo iudaico a gentibus distincto propriam non complecti Actum adoptionis gratiae, cum illi adoptati ad promissionis participationem invitati prius jubeantur poenitentiam agere, & in remissionem peccatorum baptizari in nomine Iesu. Cum quo nomine praerogativa & dignitas hominis exnativitate carnali contracta, nullo modo potest concurrere. Non enim est in alio quoquam salus, nec enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, per quod oporteat nos salvari praeter nomen Iesu Christi Act. 4. Insuper notasse hic proderit, sublata illa praerogativa, quae praeter gratiae divinae in Christo promissae actualem fruitionem vel legaliter iudaeis peculiaris est, jus oblatae promissionis universalis aequae gentibus convenissae atque iudaeis, etiam cum primum promissio fieret Abrahae. Providens enim scriptura, Deum ex fide justificaturum gentes ante Evangelizavit Abrahae: Benedicentur in te omnes gentes, Galat. 3. Gen. 12. Idemque Petrus Act. 3. dixit: jam cum Abraham natus sit ex parente idololatra, Ios. 24. neque postea semini eius ex carnali cogitatione alia sit justificandi & salvandi ratio. Itaque nulla promissa praerogativa, ut aliter salventur, sed ipse pater natus ex idololatra, tamen fide, qua sola ipse justificatus sit, constituatur pater omnium vere filiorum, etiam eorum, qui ex gentibus ipsi nasci debeant. Rom. 4. Gal. 3. Et promissionis illius jus idololatriis omnibus accommodatum sit

ab

ab Apostolis gentiū Evangelistis: certē ne quidem ad-  
ptio illa, quæ etiā extra actum salutaris fructus &  
legalem segregationem Iudæorum ex communi iure  
promissionis gentibus omnibus obtigit, nullo pacto  
ad nativitatem carnalem restringi potest, quin etiā ex  
idololatricis gentibus natis simili juris necessitudine  
competant. Quoniam etiā quidam difficulter cre-  
dunt, tantū errorem foveri à Calvino & sectatoribus  
ejus, qui universum Christianismum, ut diximus ever-  
tat. Asscribam verba Calvinī ex commendatione ipsi-  
us super dictum Gal. 2. Discrimen enim quod fuerit  
inter Iudæos & gentes, tale prædicat, quod hæ pro-  
phanæ fuerint & impuræ: Illi autem sancti, quatenus  
Deus ipsos in populum cooptaverit. Hoc sanè discrimen  
si de sanctitate legali intelligeretur, non potest  
negari: Verum Calvinus extendit sententiā suā ad  
adoptionē spiritualem, & ad sanctitatem, quæ est gra-  
tiæ Evangelicæ, & opponitur corruptioni spirituali.  
Etsi enim David filius Abrahamæ confitetur, se ex impu-  
ro semine esse genitum Psal. 51. tamen inquit Calvinus,  
corruptioni naturæ, cui obnoxii erant Iudæi, superve-  
niebat remedium gratiæ, quo sanctificabantur. Hæc  
Calvinus.

Quomodo cum Christianismus etiā hæredita-  
rius statuatur, in quo per remedium gratiæ sanctifican-  
tur homines, ut corruptioni naturæ minus sint obno-  
xii: hæc ob causam Exorcismus aboleatur: judicent  
pii, annon cum sublato Exorcismo veri Christia-

nismi everisionem & commentitij obtrusi-

onem moliantur Calvis

niani?

D 3

IDEM

IDEM IN PRAEFATIO-  
NE DISPUTATIONIBVS DE

peccato originis, ad Nobilissimum vi-  
rum Gebhardum à Meyendorff, in  
Vmmendorff, 17. Ian. Anni  
89. praefixa.

**C**IRCUMFERTVR ETIAM E-  
pistola cujusdam Synergiae assertoris Cal-  
vino simul additi, qui magistratui suo ra-  
tionem redditurus de Exorcismo in Eccle-  
sia clam Principe abolito, non dubitat abrogationi isti  
substernere Pelagianismum. Faretur enim, se cum col-  
legis prius occupasse animos auditorum hac doctrina,  
quod Christianorum liberi non sint natura peccatores  
ex gentibus, sed nati Christiani. Equidem nulli un-  
quam scribam dicam, qui Exorcismum Baptismo non  
adhibuerit, quancquam privatam temeritatem etiam nec  
suadere possim nec probare. Quod tamen Exorci-  
smus ideo ferendus non sit, quia ad peccata infantium  
exaggeranda faciat, hoc nunquam dixerim, praesertim  
cum illos Christianos nasci statuens, hosque exaggera-  
tioni opponens peccatum originis revera neget, quic-  
quid etiam de eo ad speciem alias declamitet. Nemo  
enim nascitur Christianus, sed omnes quicumque nascun-  
tur, renasci oportet, ut Christiani sint, qui non profes-  
sione saltem nominis censendi sunt, quando a peccato-  
ribus discernuntur, sed tales definiendi, quibus Ioan-  
nis testimonium conveniat, qui non ex sanguine, neque  
ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo  
nati sint.

Allea

Allegat autem Epistola illa dictum Pauli ad Ga. 2.  
Nos natura Iudæi, & non ex gentibus peccatores, quasi  
qui natura Iudæi fuissent, ideo à gentibus discernendi fu-  
issent in censura peccatorum, & sic Christianorum liberi  
carnali propagatione nascerentur Christiani, ne ut pec-  
catores gentibus æquarentur. Inaudita est hæc doctrina  
na in Ecclesia veteri orthodoxa, & tota Saxonia, Pau-  
licus ipsius contradictione tollitur, quem tamen testem  
advocat author.

Ne enim multis de hoc loco disputem, recipio le-  
ctionem Exemplaris Tygurini Anno 59. cum titulo:  
Accurate emendati editi, ubi post gentibus, habetur  
distinctio. Sic enim legitur: Nos natura Iudæi & non  
ex gentibus peccatores, ( sumus ) scientes quod homo  
non justificetur ex operibus Legis. Hac distinctio  
observata primo statim intuitu præbetur refutatio ejus,  
quod Paulus, Iudæos & gentes negavit natura æqualiter  
peccatores, quod licet nativitate illos distinctos fateatur,  
peccatores tamen ex æquo faciat, id quod etiam in sub-  
sequentibus Apostolus disertè indicat his verbis: Que-  
rentes per Christum justificari reperimur, & ipsi pecca-  
tores. Phrasid certe ἡ ἁπλοῦς ἀμαρτωλοῖς, nihil discrimi-  
nis innuit, sed potius æqualitatem profidetur. Imò ad  
Roma. 3. Paulus perspicuè negat distinctionem inter  
Iudæos, & gentes ratione peccatorum, etsi aliàs præ-  
rogativas excellentes Iudæis concesserit. Inquit enim:  
Non est distinctio: Omnes peccaverunt & carent glo-  
ria Dei. Et ad Ephes. 2. inquit: Eramus omnes natura  
fili iræ, ut etiam reliqui. Sicut igitur depravatus  
est textus Apostoli in comparatione Iudæorum &  
& gentium

& gentium, quod diversi respectus confunduntur, quorum alter sejunctionem, alter communionem parit: sic comparationi Christianorum & gentium applicata depravatio separationem pro communione substituit ens non potest non errorem gignere. Hæc verò obiter monere volui, ut timentes Deum dispiciant, quanta nostras Ecclesias pericula circumstant, cum ipsi Calviniani insidientur tanta cum astutia, ut etiam sub doctrina de peccato originis Calvinismo velificentur, & per abolitionem Exorcismi moliantur invectionem Pelagianismi. Neque nunc ad Calvinismum tantum tales inclinant, verum etiam non procul absunt ab Anabaptismo, id quod alibi volente Deo ostendam.



EPI



EPISTOLA AD AMICVM  
DE HAC IPSA CAUSA, A DANI-  
ele Hoffmanno scripta.

**S** Reverende in Christo frater, ignosce quod de re  
gravi graviter, quærenti paucis respondeo. Signi-  
ficas urgeri à vestratibus quibusdam Exorcismi abro-  
gationem, qui more recepto secundum formam infer-  
tam Catechismo D. Lutheri adhibetur baptismo in-  
fantum, quosdam autem contendere adjurationis for-  
mam illam minimè à baptismo separandum esse, qui-  
bus auctoritas dederit, ut vel ab Ecclesiis suis dis-  
cedant, vel in abrogationem consentiant. Quæris igitur  
utrum eligendum sit. Equidem nulli ero auctor, ut  
abolitionem istius Exorcismi prohibeat, modo sine in-  
firmorum scandalo, sine doctrinæ sanioris corruptela,  
sineque antecessorum fidelium deformatione fiat. Si itaque  
vestri superiores prius instituissent communem delibe-  
rationem inter pastores, permisissent etiam, ut de con-  
silio abrogationis auditores fuissent præmoniti & con-  
tra offendicula præmuniti, neque rem indifferentem im-  
pietatis damnassent, aut per ritus adiaphori insecta-  
tionem Calvinianis erroribus studuissent, suaderem  
omnino ut consentiretis. Verum cum intelligam in re  
libera tollenda violentiam adhiberi, nec suaderi sed  
mandari omissionem, infirmorum rationem nullam  
haberi, Luthero & Philippo, & alijs tantam lucem &  
sapientiam derogari, quanta se vestrate perfundi glo-  
riantur, usurpationem Exorcismi impiam pronunciarì,  
neque tectè sed apertè hoc quæri, ut doctrina sincerior a-  
dulteretur, & disertè negetur liberos Christianorum  
E esse

esse peccatores ex gentibus. Itaque discrimen inter natos & renatos tollatur, imò innumerae partes confessionis nostrae vitient, non video, qui vos bona cum conscientia studijs huiusmodi communicare possitis. Quia tamen cum Magistratu & Inspectoribus vobis res est, pro pietate vestra modestè vos opponetis consilijs istorum & decenter rogabit, ut magistratus rem denuo expendere dignetur, & in timore Domini examinet, quæ authores huius innovationis in hoc ipso negotio commiserint pietate planè indigna: nimirum quod libertati Christianæ iugum minentur, infirmorum curam abijciant, preceptores suos & Ecclesias, in quibus nati, educati & instituti, temerè impietatis insimulent, & genus doctrinæ purioris depravent, quæ tela nisi tempestivè obrumpatur perniciem patrie tristissimam attrahatur sit. Quod si igitur abrogatione aliqua Exorcismi opus fuerit, maxime necessarium ostendatur, ut hæc periculosissima molimina prius aboleantur. Ac si hic cautionem constantem impetraveritis permitti potest magistratui, si insisterit, ut probatis rationibus consilij sui Ecclesijs persuaderi curet Exorcismi omissionem, qua in re perspicue reprobaro iniquissimo pretextu insidiantium libertati, & sinceritate Christianæ, etiam vos promittere potestis operam vestram magistratui: ne ex re media necessarium fecisse aut potestati divinitus ordinatæ temerè resistisse accusari queatis. Hoc consilium Ego sequerer si vestro loco essem, neque tamen hoc ita præscribo, ut vestræ piæ discretioni amplius locus non sit, sed oro ut vos quoque seriò rem tantam meditemini, & conscientias vestras ipsi probetis. Datæ Helmstadij,

25. April. Anno 1590.

F I N I S.




QX Ka 1252

X. 2706872

M





X<sup>6</sup>  
1252

doxa doctrina

**EXORCI**  
**N ADMINI**  
**NE BAPTISMI, A**  
Ecclesiis Augustanam  
nem amplectentibus  
retento.

**OPOSITA**  
n. Daniele Hoffman/  
col. D. & Acad. Iuliae  
professore P.

**QVADAM CHRIS**  
prietatis Studiofo.

scindantur, qui vos  
onturbant.

lebatur Anno  
D. M. XC.

BIBLIOTHECA  
PUNICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)